



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Nobili Viro R. Comiti Tolosano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

352 Epistolarum Innocentij III.

adimplere. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus & monendam, in remissionem vobis peccatum injungentes quatinus pro ejus amore qui vobis animam donavit & corpus & bona omnia quae habetis, immo etiam qui scipsum vobis donavit in pretium ut suo sanguine pretioso redimeret vos à diaboli potestate, aliquam portionem de preventibus vestris, saltem unius anni, juxta dispositionem venerabilis fratri Regensi Episcopi & dilectorum filiorum Cisterciensis Abbatis & magistri Milonis Notarij nostri sedis apostolicae Legatorum tam hilariter quam liberaliter conferatis; ut per hæc & alia bona quæ Domino inspirante feceritis, ad æternæ beatitudinis præmia mereamini pervenire. Nos enim eisdem Legatis vices nostras in hoc duximus committendas, habituri ratum & gratum quicquid piè ac providè super eo duxerint statuendum. Datum Viterbij vii. Kal. Augusti, anno duodecimo.

*M A G I S T R O M I L O N I
Notario nostro apostolicae sedis Legato.*

Epiſ. 89.
Mandatur ei
ut corporum ne-
gotiorum perfici-
quatur.

Solicitudinis tua studium, quod per operis evidentiam declaratur, tanto nobis prudentiam tuam reddit amplius commendatam quanto cælestis altitudo consilij circa commissum tibi negotium majora dinoscitur per tuum ministerium opera. Illi ergo qui pertingit à fine usque ad finem fortiter & disponit suaviter universa, quique eum imperat ventis & mari, facit in turbatione tranquillum, quas valemus gratias referentes, discretionem tuam dignis super hoc laudibus commendamus. Licet autem redditus tuus utilis nobis esset & præsentia tua grata, quia tamen in ministerio tui cura multis te fore credimus non solum necessarium sed etiam fructuosum, devotioni tua præfentum auctoritate mandamus quatinus prudenter considerans quod non qui cœperit, sed qui perseveraverit, salvis erit, & finis non pugna coronat, his quæ ad injunctum tibi spectant officium sollicitè ac solerter intendas, ad illum principaliter habens absque intermissione respectum qui pro sua causa, quam agis, dirigit gressus tuos, redderque tibi mercedis æternæ denarum pro labore, à nobis etiam, qui non sumus tuae devotionis immemores, consolationis solatia percepturus. Datum Viterbij vii. Kal. Augusti, anno duodecimo.



*N O B I L I V I R O R. C O M I T I
T o l e s a n o .*

GAudemus in Domino & in potentia virtutis ipsius quod licet contra te dum fuerint multa suggesta quæ famam tuam videbant multiformiter denigrare, tu tamen, ut eam omnino purgares, totum te nostris exposuisti mandatis, exhibens cautiones quantas & quales dilectus filius magister Milo Notarius noster apostolicae sedis Legatus exigit; & sic quimultis fueras in scandalum, factus es pluribus in exemplum; ut circa te manus Domini videatur mirabiliter operata. Cum ergo pro certo credamus quod hoc tibi, non solum spiritualiter ad salutem, verum etiam temporaliter ad profectum debeat redundare, ut amodo inter fideles fructifices & abundes in pace catholica qui haec tenus inter perfidos dispergebas & consumebas in bellicosa clade, nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus tales in omnibus te studeas exhibere quod nos, qui tuum desideramus in Domino commodum & honorem, ad exhibendum tibi gratiam & favorem meritò debeamus induci, pro certo confidens quod indebet tibi nolumus inferri gravamen. Datum Viterbij vii. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno duodecimo.

*S T E P H A N O C A N T V A R I E N S I
Archiepiscopo, S. R. E. Cardinali.*

Super negotio Lincolnensis electi non solum discretionis spiritum, verum etiam discretionem spiritus te oportet habere, ne facilè credas omni spiritui, sed zelum habeas secundum scientiam, diligenter attendens quod qui nimium emungit, elicit sanguinem, cum tempus & tempus sit omni rei quæ sub cœlo consistit. Vnde: Omnia bona in tempore suo. Tuis ergo consultationibus breviter respondemus quod si Lincolnense Capitulum alias litteras de assensu regio vel noluerit vel nequerit impetrare, sufficiunt impetrata, ne forte sub specie consuetudinis approbatæ querere videaris utilitatem magis propriam quam communem. Si autem electus canonicam purgationem obtulerit super iis de quibus probabiliter est suspectus vel publicè infamatus, purgationem ejus accusatore deficiente recipias, moderando ipsam cum quinta probabilium personarum ordinis sui manu. Quod si nec inquisitionem subire nec purgationem exhibere voluerit